

quidem, at non commodè vivi potest: Ita Ministerium in temporalibus indiget defensione magistratus: Magistratus verò in spiritualibus institutione Ministerij, vel maximè opus habet.

77. Queritur autem & graviter controversatur, cum constet experienciâ & facto ipso, Episcopos Romanos, Pontifices Maximos frui jurisdictione & potestate temporali: Quo & quali jure hoc fiat.

78. Sunt ex grege palponum Romanensium, qui jure divino Episcopis utramque jurisdictionem competere autumant. Grat. dist. 22. cap. Omnes.

79. Verùm cum ex scripturis nihil huiusmodi probari possit, & præter claves regni cælorum, de clavibus regnorum mundi Apostolis concessis nihil quicquam in ijs reperiatur, purum putamus hoc esse mandacium statuimus.

80. Alij, inter quos Bellarminus principem locum obtinet, statuunt, non divino quidem, sed humano Iure, & sic non mediatè atque directè: sed immediatè atque indirectè, non merè quidem temporalem, sed quasi mixtam in ordine ad bonum spirituale disponendi, potestatem Episcopos habere.

81. Sed minus commodè ac sufficienter rem explicant: & potior est Orthodoxorum sententia, statuentium Romanenses Episcopos habere quidem temporalium bonorum administrationem. jure humano, quippè donatam à regibus & principibus: